



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Dona Spiritussancti extra charitatem quid valent. tit. 207

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

litiæ &cæt. Est enim cum illis efficax Sathanas, &c.
Ideò in omnibus respiciendum est ad Catholicam
potestatem, & illi obediendum.

DONA SPIRITUSSANCTI
et i extra charitatem quid valent.

TITVLVS CCVII.

PRIMÒ, multos mouet, quod dicitur, hæreticos non habere spiritum sanctum, quando tamen utuntur donis spiritus sancti, sicut dicit Apostolus 1. Cor. 12. Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. At illi dulcissimè prædicant Christum, sunt docti & facundi, Euangeliū & scripturā exponentes, scribentes, glossantes, &c. Sunt plenique bonę vitę, faciunt miracula, habent concursum populij. &c. & quomodo nunc dicuntur non habere spiritum sanctum? Respondeo, sunt aliqua dona & opera, quę spiritus sanctus solum mouet in malis, id est, incredulis, hæreticis, Turcis, &c. Et sic verum à quo cūque dicitur, inquit Augustinus, à spiritu sancto est. Sic Balaam Num. 24. prophetat, & futura prædicta de Christo, id est, orietur stella ex Iacob, &c. & Caiphas Ioan. 11. quod Iesus moriturus esset pro gente. Sic Apostolus 1. Cor. 12. inquit esse diuersa dona spiritus. Illi datur per spiritum sermo sapientia, alii scientia, alii donum fidei, alii gratia sanitatum, alii operatio miraculorum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum, &cæt. Hæc singula diuidit spiritus, prout vult, tām in bonis quam in malis.

Secundò, inquit Apostolus 1. Cor. 12. Demonstro autem vobis adhuc excellentiorem virtutem & donum, id est, sine quo cætera nihil profundit ad salutem æternam consequendam, & illa est charitas, ne qua nemo saluus fiet, 1. Ioann. 3. Qui non diligit

masct

manet in morte, id est, nondum est renatus, etiam si
nibeat omnia alia dona: sine charitate & unitate ne-
no habet spiritum sanctum, i. Ioann. 4. Deus chari-
tatis, & qui in charitate manet, Deus in illo est &
manet, & nulli inhabitat, licet ad alia dona moueat.
In charitate nulla dona spiritus sancti, nulla opera
bona prosunt, i. Cor. 13. Si linguis loquar hominum
angelorum, &c. si habuero omnem prophetiam, si
omnem fidem, ut montes transferam, si omnem fa-
cilitatem in eleemosyna &c. nihil prodest ad conse-
quendam salutem. Charitas igitur forma & virtus
et virtutum. Ex illo concluditur quod licet plerique
heretici dulciter praedicant, sunt docti, &c. non ta-
men habentes charitatem, id est unitatem catholicam,
nihil prodest illis, neque auditoribus ad salu-
tē.

Tertio, inquires: Cur Deus tunc malis dat huius-
modi dona spiritus? Respondeo, Charitas datur pro-
pter personae salutem principaliter, at gratias dantur,
principaliter propter bonum Ecclesiae, & non illius,
qui dantur. Sic Matt. 7. quidam dicebant, aut dicturi
Iustin. nouissimo die: Domine, nonne in nomine
tuo prophetauimus, miracula fecimus, & daemonia
deccimus? & tunc confitebor illis, quia non novi vos
quaibi defuit unitas & charitas. Ideo discedite a me
operari iniquitatis igitur sine charitate nihil pro-
dest. Prae omnibus igitur querenda est charitas, & ne
dat schismata in nobis, i. Corinth. 1. alioqui parum
prosunt dona, &c.

Quarto, dices: Cur Deus tunc huiusmodi donis
spiritus in haereticis permittit seduci pios: & cur tan-
tum fauorem erga illos a populo permittit? Respon-
deo, Deus nos admonuit de futuris haereticis & fal-
sis prophetis, Mat. 24. Surgent multi, id est, multe sectæ
caerule, & audite universalem Ecclesiam catholicam,
Mat. 18. Nolite omni spiritui credere, i. Ioann. 4. Sed

HHh 4

quo-

quoniam Christi admonitionem contemnimus, & Ecclesiam catholicam nolumus agnoscere, idèo permittit Deus operationem erroris in eos, qui nondum veritati, 1. Thessal. 2. Sic Adam contigit in Paradiſo, dum noluit obediſcere verbis Dei, Genes. 2. audit verba serpentis, Genes. 3. Deus quoniam bonus, idèo omnibus creaturis dat dona sua: videat quisque quo modo virtutem, &c. aliqui in profectum, aliqui in damnationem.

*QVOD TRIA SUNT QVI.
bus Ecclesia catholica se tuerit
contra schismaticos.*

TITVLVS CCVIII.



RIMÒ, tria sunt, quibus prævaluit ab initio Ecclesia catholica contra schismaticos, Primò, catholicus scripturæ intellectus: Secundo, traditionum generalium Ecclesiæ obseruantia: Tertiò, legitima successio scilicet ministrorum Ecclesiæ ut Papæ, Episcoporum, Sacerdotum & reliquorum procuratorum & consecratorum &c. legitima ordinatio. Primò laborat in hoc omnes schismatici, quod apud vulgus faciunt fucum in scriptura & verbo Dei: non enim apud ipsos agitur tantum de scriptura, sed quantum possint suū dogma per scripturā stabilire, quo hæc eorum errores probet sicut patet de operibus & fide, Roma 3. Arbitramur hominē iustificari fide &c. Hanc autem sequelam non docet Paulus, quod sola fides saluet, immò aperte reclamat: Fide statuimus legem, atramen magnum sibi fucum faciunt scilicet cùm tali scriptura. Sic Marth. 26. Hoc est corpus meum, id est, significat, vel signum est corporis mei. Sic Marci vltimo: Qui crediderit, &c. Sic illi contendunt, quod sola diuinitas Christi iustificet, & nō humana-